



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

84 Resignanti pacisci non licet, vt alius beneficium aliud renunciæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

nem iuris spiritualis vnus in alterum, pro aliquo temporali vel simili pretio respicit, quod tamen in proposito non contingit; eo quod neutra pars intendit dare, aut promittere alteri qui quod ob pretium vel quasi pretium iuris spiritualis; seu quod constitutio pensionis pretium remunerationis esset; sed solum conueniunt ad impetrandam surreptitiae ea quae volunt, nihil dando, vel promittendo alicui pro eius obtentione: sed neque mendacium illud causa principalis, aut immediata acquisitionis beneficii fuit, sed remota, & mouens tantum Papam ad maiorem pensionem pro commoda regni finatis sustentatione constituendam, quorum nullam simoniam efficit.

DECISIO LXXVII.

Ex conf. 76. in antiquis, & Nouis.

77 **S**imoniam censetur, si ab eo, qui gratis cessionem expedit, fiat retrocessio beneficii intra breue tempus, & non alias; sicut nec ex datione alterius rei longe post tradita. Immo & confidentia censetur ex promissione retrocedendi beneficii ipsi resignanti, quamuis non ex promissione dandi fructus eidemmet resignanti.

DECISIO LXXVIII.

Ex conf. 9. in Nouis deest in antiq.

78 **S**imoniam licet sola voluntate quoad peccatum committitur, pena tamen non incurritur, nec restitutionem annexam habet, cap. fin. de simonia. subscribens autem scripturae continenti multa capita, quorum aliqua simoniaca sunt, ad ea in dubio restringitur, quae licita sunt, ut sic delictum euitetur; cum in dubio, actus qui potest esse bonus, non praesumi debet esse malus, cap. 1. de iniuri. in 6. l. si pro curato, ff. de cond. indeb.

DECISIO LXXIX.

Ex conf. 18. in Nouis, deest in antiquis.

79 **S**imoniam est, non solum resignare beneficium in manus ordinarij premissis pacto, ut tali conferatur; sed etiam de praestando consensu in pensionem super meo beneficio, si alter resignet beneficium suum fauorem eius quem volo.

DECISIO LXXX.

Ex conf. 19. in Nouis, deest in antiq.

80 **C**um simonia reciproca non sit, quando non interuenit pactum, aut conuentio tacita, vel expressa, consequenter resignare beneficium in fauorem alicuius, etiam si interueniat intentio mentalis, ut alter aliud simile in fauorem filij sui ex gratitudine faciat, simonia reciproca dici non debet, nec in penas contra confidentiam in beneficijs committentes factam exinde incurrit, modo nulla conuentio expressa, vel tacita, quae sola illicita est praecesserit; cum lex naturalis sit, ut recipiens beneficium teneatur beneficii benefacere, l. si non sortem, §. libertus, ff. de conditio. indeb.

DECISIO LXXXI.

Ex conf. 20. in Nouis, deest in antiq.

81 **R**esignans beneficium in manibus ordinarij, cum spe in animo retenta, quod ipse dabit illud alicui digno, pro quo ipse rogauerit, aut quem ipse nominauerit, licita est, si cum ordinario pactus non fuerit, antequam renunciabit, quod ipse ei illud conferret, ita Nau. in Man. cap. 23. nu. 1. 69. sicut, & mandatum de renunciando cum clausula, ut post renunciationem rogaretur collator, ut tali, vel tali conferret, licitum est, ex Cassad. decis. 2. de simon.

DECISIO LXXXII.

Ex consil. 21. & 48. in Nouis, quae ipsa eadem sunt, vacant in antiquis.

82 **S**imoniaca renunciatio cum sit ipso iure nulla, & omnia quae post illam sequuntur; consequenter titulus benefi-

cij per simoniam resignati penes simoniacum resignantem manet, donec per sententiam eo priuari: unde etiam ignorant simoniam illam, huiusmodi beneficium ante priuationem per sententiam, acquiri non potest, quia est alienum, & verè non vacat.

DECISIO LXXXIII.

Ex conf. 26. in Nouis, deest in antiquis.

83 **M**ediator rogatus, ut oblata restitutione expensarum Bullarum suadeat alicui renunciationem beneficii, si illam simpliciter fieri procuret, & postea pecuniam gratuito a resignatario soluente datam recipiat, quamuis simoniam mentalem commiserit, si resignantem simoniace interpellare proposuit, sicut etiam, & resignatarius rogando ut pro ipso apud alium interpellat; Neuter tamen simoniam realem, quae ipso iure excommunicationem, & nullitatem tituli inducit, Extrauag. 2. de simon. committit, & censetur.

DECISIO LXXXIV.

Ex conf. 30. in Nouis, deest in antiq.

84 **R**esignanti pacisci non licet quod alius aliud beneficium renunciat, seu pensionem soluere, vel expensas Bullarum restituere teneatur, nisi id Papa in supplicatione exprimat.

DECISIO LXXXV.

Ex conf. 31. in Nouis, deest in antiq.

85 **S**imoniam conuentionalis est, si resignati promittitur, quod percipient nihilominus fructus, vel quod talis propinquam eius ducet in uxorem, ex promissione tamen sola non incurritur excommunicatio, ex Naua. in Man. c. 23. nu. 104. & 105. si autem ex vi pacti fructus illos recipiat, aut aliud loco illorum, vel sequatur Matrimonium, excommunicationem incurrit. Quod si a pacto recedatur, & postea libere contrahatur, vel aliquid ex sola liberalitate donetur, non incurritur poena, etiam si minus principalis respectus ad praecedentia habeatur.

DECISIO LXXXVI.

Ex conf. 32. in Nouis, deest in antiq.

86 **S**imoniaca est omnis renunciatio beneficii ecclesiastici cum pacto etiam conditionali, etiam inani, & inutili, saltem si praebet causam dictae renunciationi, talis tamen renunciatio conuentionalis ab vna tantum parte puta renunciante, adimpleta valet, neutra tamen pars excommunicationem incurrit, ita Naua. in Man. c. 23. num. 111.

DECISIO LXXXVII.

Ex conf. 42. in Nouis, deest in antiq.

87 **S**icut simonia est conuentionalis si competitori digniori, ut desistat, promittatur temporale, & si ab vtraque parte obtento beneficio adimpleatur, efficitur realis, annullans omnia secuta; ita etiam mediatori, ut mihi collationem, vel praesentationem impetret, si quid promittit, simonia conuentionalis est, & si obtento beneficio soluum, efficitur realis, annexam habens excommunicationem, & actus nullitatem, ac ad illud reddor inhabilis, a solo Papa habitandus.

DECISIO LXXXVIII.

Ex conf. 50. in Nouis, deest in antiq.

88 **P**ermutatio beneficii pinguioris cum minus pingui, cum pacto, ut fructus excedentes sibi restituantur, est simoniaca. Idem est, si conueniant ut constituantur pensio aucteritate propria pro fructuum adaequatione.